



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xiiij. De moderatione & mensura cibi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

pinnas abijcit. Vel opobalsamum cum carne eidem edendum præbent, aut pullos hirundinum. *Aliud.*

Lacertam minutatim concisam, ne vnguibus accipiter capiat, sed ore. nam si lacertæ caro in accipitrem velut lac quoddam emiserit, damnum affert, & pedem in partem interiorem constringit. Itaque minutatim concidito, ne ipsam vnguibus possit capere.

De moderatione & mensura cibi.

EDAT accipiter ex trutina ouillæ carnis dextantem, caprinæ dodrantem, hircinæ dextantem, ceruinæ bessem, leporinæ quincuncem, suillæ selibram, nefrendis septuncem, catelli bessem, bubulæ selibram: auium verò, vt gruum, vt anserum, vt turdorum, passerum carnibus satiandus, neque remouendus, priusquam vnà cum carnibus ossa, pilos, plumas comederit. Cui si quis alium cibum apponit, priusquam illa deuorarit, valde illum lædit. vires enim eius debilitat, appetitum tollit. Caro vnà cū ossibus & pilis comesta valde utilis. nam stomachi pituitam exsiccat & cōcoquit, & accipitrem contra graueis morbos tuetur.